

eaque corruptissima exscripsit Plinius; plura Strabo; omnem vero, ut quidem videtur, Arrianus ^{a)}).

Nearchi Paraplus, sicut pleraque veterum itineraria, liber admodum tenuis fuisse videtur, pauca continens, praeter nomina propria ac distantiam singulorum locorum, quantam forte esse conjiciebat. Quae longius describuntur, maximam partem non sunt magni momenti. Quare cogitari nequit, paraplum illum fuisse supposititium. Nam si quis impostor Nearchi itinerarium finxisset, absque dubio lectores et sermonis lepore et rerum eventuumque miraculo allicere conatus esset. „*Nearchus vero loquitur quidem de insula quadam incantata, atque de miraculosa Ichthyophagorum origine, sed ut rem refutet, non ut pro vera venditet. Duo modo ejus veracitatem suspectam reddere possent, nimia nempe Indi latitudo, sed hanc puta scripsit fluvii inundantis; et quod dicit, Malanis Novembri visum esse solem septentrionem versus; sed quis ob unum hunc errorem veritatem totius negare posset?*“ *Vinc. Nearch. pag. 58.* Et ni ipse fallor, ne hic quidem error Nearchi adscribendus est, sed Arriano, minus recte auctorem suum intelligenti. Vid. not. ad c. 25, 1. „*Nearchi narratio, ab Arriano servata (qui ipse eam genuinam esse certissime non dubitavit), quaevis interna documenta veritatis habet; quo attentio-*

* 4

res

a) cf. Diod. XVII, 106. Curt. X, 1, 10. sqq. Plin. VI, 23. 24. 25. Strabo XV. pag. 495. sqq.